

## MOTIVA.

*Charitatis Dei erga nos magnitudo*; de qua recte et brevier dixit S. Bernardus: Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura. S. BERN.

*Ejusdem Dei erga fideles servos liberalitas*; de qua S. P. Ignatius in Constitutionibus recte dixit: Et universim, quo liberaliores nos erga Deum ostenderit, eo ipsum quoque erga nos liberaliorem experiemur. S. IGNAT. in Const.

*Vita brevis*; quis enim pauper, si unico die thesaurus ipsi regius aperiretur, cum facultate, quantum vellet, exportandi, non summum in exportandis et colligendis pecuniis conatum et fervorem adhiberet? Merito ergo Salomon monet: Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu prope- ras. ECCLES. IX, 10.

*Invidias, quam experiuntur ferventer Deo servientes*; nam vincentibus (socrordiam et teporem) datur manna absconditum celestium consolatorum, ut omnia etiam difficilia cum magna facilitate et lætitia exequantur.

## MEDIA.

*Meditatio motivorum ad fervorem excitantiam*; in hac enim meditatione exardescet ignis fervoris.

*Mortis incerta cogitatio*; de qua recte pius Auctor dixit: Si frequentius de morte tua, quam de longitudine vite cogitares, non dubium, quin ferventius te emendares. L. I, c. 1, § 5.

*Secularium terrenas et perituras divitias et honores quærentium fervor*; de quo S. Ignatius Lusitanis Fratribus sic scripsit: Nolite pati, ut hujus sæculi homines plus laborum et molestiarum suscipiant in conquirendis studiose voluptatibus ac rebus caducis, quam vos in celestibus ac divinis comparandis; pudeat, illos majori opera eniti ad aucupandam gratiam Principis mortalis, quam vos laboretis ad amicitiam cum æterno Rege conjungendam. S. IGNAT. in ep. ad Lusit.

*Premii celestis magnitudo considerata*; uti suavit libellus de imitatione his verbis: Age, quod agis; fideliter labora in vinea mea,

ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus et majoribus præliis vita æterna. L. III, c. XLVII, § 2.

## ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia bene observare debet. Primum est, ut bene cognoscat et æstimet fervoris hujus prælium, nempe quod sit proprium indicium fidelis et Deum sincere, amantis servi, ut recte advertit S. Climacus, dum, quærens, quis est fidelis et prudens Monachus? respondet: Qui fervorem suum servat inextinguibilem, et in dies usque ad finem vite sue ignem igni adicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, et studium studio nunquam desit. S. CLIM. grad.

Alterum est, ut sciat, in quibus rebus potissimum suum fervorem ostendere debeat, videlicet in actionibus suis quotidianis recte obendis, in victoria sui, in rebus adversis generose supportandis, et minimis rebus eligendis et cupide amplectendis, uti sapienter advertit S. Maria Magdalena de Pazzi, ut quæ suas Moniales assiduo hortabatur, ne curarent res magnas facere in apparentia (uti sunt disciplina, jejunia, vigilia, humi cubationes) quia in his dicebat occultari superbiam periculosam animæ, sed potius facerent res minimas, quæ tamen magnæ fiant et sublimes per ordinationem earum ad altum finem, recta intentione, quia talibus valde delectatur Deus, et sunt abscondite adversario. Vita, p. 4, c. III.

Tertium est, ut sciat hunc fervorem per religiosam et prudentem discretionem moderari, ne per excessum illius corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor subtrahatur, ut recte alieni S. Bernardus notavit: Quare illud S. Spiritus motus semper ob oculos habendum: Mel invenisti? Comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud, uti contigit illis, qui, ut Thomas Kemp. loquitur, ineani propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt, quam potuerunt, non pensantes suæ parvitatæ mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis iudicium. Et quia majora præsumperunt, quam Deo placitum fuit, idcirco gratiam devotionis cito perderunt. Facti sunt inopes, et viles relictæ,

qui in cælum posuerunt nidum sibi, ut humiliati, et depauperati discant non in aliis suis volare, sed sub pennis meis sperare.

## MISCELLANEA.

**QUALITAS.**—S. Ignatius Loyola devotionem et fervorem, qui sine alteratione corporis concipitur, devotionem Angelicam vocabat, eo quod ejusmodi personæ sicut Angeli sine corporis inflammatione Deum laudent et ament. Deus Pater autem S. Catharinæ Senensis dixit, hoc esse sextum genus ignitarum lacrymarum. LANCIZ. opusc. VI, c. VII, n. 76.

S. Ambrosius recte proprietatem fervoris explicavit, dum dixit: Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.

Non male fervori etiam applicari potest illud Horatii:

Virtus recludens immeritis mori  
Cælum, negata tentat iter via,  
Cætasque vulgares, et udam  
Spernit humum fugiente penna.

HORAT. I, III, OD. 2.

De Fabio Cunctatore olim dicebatur, quod cunctando restituit rem; de cunctatoribus autem et in servitio Dei minus ferventibus rectius dicitur; quod cunctando destituant rem, id est, profectum in meritis et virtutibus. BERL. in festo Visit. lect. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,  
Pauperium fugiens.

HORAT. in Epist.

Quidni potiori jure similem alacritatem ostendat servus Dei in coelestibus divitiis comparandis?

## AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. VI, cap. VII et opusc. V, c. IX, n. 152.

Ludovicus Cranatens. in Locis Com. t. 348. Laurentius Beirlinek, in festo Visitationis B. Virginis, text. 1.

Thomas Stapletonus, in Dom. Palm. t. IV et Dom. Pasch. t. III.

Alphonsus Rodriguez, de Perf. p. 1, tr. I, cap. II, III et IV. Item c. XII et XIII.

Josephus Langius, in Polyant. V. eod. Thomas Kempensis, de Imitat. Christi, l. I, cap. XXV et XIX.

S. Ignatius Loyola, in Epist. ad Lusit. de perfect. Relig.

Claudius Acquaviva, de Renovatione Spiritus.

Philippus d'Outreman de Pedag. Christiano, part. II, cap. XXIV, § 8.

## FIDES.

## QUOD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.**—Est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint. Juxta D. Paulum, est sperandum substantia rerum, argumentum non apparentium. HEBR. XI, 11.

Super quæ verba sic loquitur S. Bernardus: Audis substantiam? non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libito, non hæc illuc vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine ali-quod certum tibi fixumque præfigitur. Non est enim fides æstimatio, sed certitudo. S. BERN. ep. CXIX, ad Innocent.

**DIVISIO.**—Dividitur communiter in vivam et mortuam; nam sicut vita animalis, ita fidei vita ex motu et operatione cognoscitur. Et hæc videlicet fides viva est, quam Sponsa in Canticis voluit poni super cor Fidelium, ut credant, quæ averitate prima revelantur, et sicut signaculum super brachium, ut id, quod credunt, opere confirmet. CANT. VIII, 8, seu, ut loquitur Apostolus, corde credant ad justitiam, ore autem confessionem faciant ad salutem. ROM. X, 10.

Unde in Apocalypsi fideles appellantur *Signati*, eo quod signum veræ fidei habeant, dum crucem Christi confitentur, atque adeo in fronte illud habere mereantur. APOC. VII, 4.

Hanc divisionem S. Aug. ex ipso nomine fidei deducit, dum ait: Fides appellata est ab eo, quod fit. Duæ syllabæ sonant, cum dicitur *fides*; prima syllaba est a *facto*, secunda a *Deo*. Interroga te ergo, utrum credas? Dicis: Credo. Fac, quod dicis, et fides est. Nam, ut S. Gregorius testatur, vera fides, quæ hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. S. AUG. ser. XXII.

**ACTUS.**—Corde credere.

Ore confiteri.

Opere confirmare.

Sanguinem proprium fundere pro fide.

Pro viribus spargere fidem, ac dilatare.

Contra hæreticos, aliosque hostes fortiter eam propagare.

**EFFECTUS.**—Quatuor ab Ascetis nume-

rantur: Meditatio, Contemplatio, Contemptus sæculi, Puritas cordis; nam qui credit, intelligentiam creditorum cupit, et hoc desiderium ad inquisitionem movet, in qua est *meditatio*; inquisitio pia veritatem invenit, in eaque cum exultatione quiescit, et hæc est *contemplatio*; veritas inventa docet, quam vilis sit mundus, ex quo generatur *contemptus sæculi*; hic autem ad inhesionem, qua quis Deo inhaerere studet, excitat, et in hac *puritas cordis* consistit.

Alios effectus enumerat Joannes Buseus in *Viridario* suo, videlicet I. *Justificationem*, juxta illud Apostoli: Arbitramur hominem justificari per fidem. ROM. III, 28. Nam, ut S. Clemens Alex. recte advertit, præcedit fides, timor edificat, et dilectio perficit. S. CLEM. I. II, apud Strom.

2. *Virtutem et bonorum operum exercitium*; uti recte S. Aug. indicavit his verbis: Magnam opus, sed ex fide; laudo superedificationem operis, sed video fundamentum fidei; laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. S. AUGUST. in Ps. XXXI.

3. *Rectam intelligentiam*; uti S. Cyrillus Jerosolymitanus indicavit, dum dixit: Oculus omnem illuminans conscientiam est fides, et intelligentiam tribuens. S. CYRILL. *Catech.* IV. Dicit enim Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. ISAIAS, c. VII, 9.

4. *Constantiam in adversis*, juxta illud Apostoli: Certus sum, quia neque mors neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. ROM. VIII, 28. Unde autem certus erat, nisi ex fidei firmitate? inquit S. Hieronymus. In c. I, ep. ad Galat.

5. *Innuitatem a curiositate vitio*. Nam ut recte Tertullianus ait, nobis curiositate non est opus post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus. TERTULL. de *Prescript.*

#### EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Est autem fides sperandarum

substantia rerum, argumentum non apparentium. HEBR. XI, 1.

Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei. I. THESS. II, 13.

Unus Dominus, una fides, unum baptismus. EPH. IV, 6.

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. ROM. X, 10.

Qui credit Deo, attendit mandatis ejus; et qui confidit illi, non minorabitur. ECCI. XXXII, 28.

Sed dicit, quis: Tu fidem habes, et ego opera habeo; ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ostendam tibi ex operibus fidem meam. JAC. II, 28.

Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? JAC. II, 14.

ÆQUITAS. — Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. PS. XII, 5.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine novo demonia ejicient, linguis loquentur nevis, serpentes tollent et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et bene habebunt. MARC. XVI, 17.

Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. JOAN. X, 38.

NECESSITAS. — In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. GAL. V, 6.

Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit. HEBR. I, 6.

Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. JOAN. VIII, 24.

Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem meus ex fide vivit. ABAC. II, 4.

UTILITAS. — Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. PHIL. III, 7.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. ROM. IV, 3.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. MARC. XVI, 16.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. JOAN. III, 20.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. JOAN. VI, 42.

Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. MARC. IX, 23.

DIGNITAS. — Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. BARUCH. IV, 4.

Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. PS. XLVII, 10.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos feci in partem sortis sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum Filii dilectionis sue. I. COLOSS. 12.

Jam non estis hospites et advena, sed estis civis Sanctorum, et domestici Dei. EPH. II, 19.

CONSTANTIA. — State, et nolite iterum ergo servituti contineri. GAL. V, 1.

Obiurgati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus? GAL. III, 1.

Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire. GAL. V, 7.

Optimum est, gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulanti in eis. PROV. XIII, 9.

Sicut qui multum mel comedit non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. PROV. XXV, 27.

Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. I. TIT. I, 9.

Fide stas? Noli altum sapere, sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi pareat. ROM. XI, 20.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. PROV. XXII, 28.

State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. JER. VI, 16.

Jam non simus parvuli fluctuantes, et circumveniamur omni vento doctrine, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. HEBR. XIII, 6.

Doctrinis variis et peregrinis nolite abducì. HEBR. XIII, 9.

#### EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Tunc veraciter fideles sumus, quando quod verbis promittimus, operibus complemus. S. GREG. *hom.* XXVI.

Fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit; qualis sit ejusque fides, tribulatio probat. S. BERN. de 29 *grad. Humil.*

Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, botrum opus, devotionem vinum. Idem, *super Cant.*

Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. S. AUG. in *hom.* XXVI, *super Ev.*

Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodos. Remissas exuberias callidus insidiator irumpit; asuetum autem bello virum hesternam fraus instruit, et gloriose provehit palma victoriæ. S. AMBR. *super. Ps. Beati immaculati.*

Putasne Filium Dei reputat Iesum, quisquis ille homo est, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, si fateatur se nosse Deum, factis eum negat? Porro fides sine operibus mortua est. S. BERN. *sup. Cant.*

Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides demonis. S. AUG. x, de *Civit.* Quid est fides, nisi credere, quod non vides? Ideo bene creditur (SS. Trinitas) quia cito non capitur; nam si cito caperetur, non esset opus, ut crederetur, quia videretur. S. AUG. *sup. Joan.*

Non pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi; alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. S. CYPR. in *tract. de Unitat. Eccles.*

Fides est sicut columna illa, quæ præcedebat populum Israel in exitu de Egypto, nam et illa ex parte Israel erat lucida, et ex parte Egyptiorum tenebrosa; sic fides creditibus lucet, et infidelibus est obscura, quia ipsi sunt rebelles lumini. S. BONAV. *Dial. Sal. tit.* 5, c. III.

Fides Dei non est otiosa, neque solitaria, individua comes ei jungitur bonæ operationis instantia; nam cum per fidem quis cogita incipit amare, consequenter exercet operando, quod amat. S. HIER. *ad Paulin.*

Proprie nomen fidei inde est dictum, si

omnino fiat, id quod dictum est, aut promissum; et inde fides vocata est ab eo, quod sit illud, quod inter utrosque placitum est, quasi inter Deum et hominem; sed et Cicero ait: Fides, dictorum conventorumque constantia; sic dicta, quod fiat. S. ISID. I. VIII. ORIG. c. II. CICERO, I. V. *Offic.*

Fides est simplicitas mentis, et devotio animæ ad Dominum. S. HIERON. *advers. Lucifer.*

Fidelis totum mundum habet, cum Deum habeat. S. AUG. *Conf. c. IV.*

Fides inexercitata cito languescit. S. AMBR. in *Ps. CXXIII.*

Fides nisi præcedat, bona vita sequi non potest. S. AMBR. de *Fide et Opere.*

Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. S. GREG. in *Ev. hom. XVI.*

**ÆQUITAS.** — Deus credi se voluit, non examinari; periculosa est disputatio de Trinitate. Lutum et vas figuli de Creatore disputant, quod nec Angeli in celo scire possunt. Quid enim agunt? *Quis est iste Rex gloria?* Et apud Isaiam: *Quis est iste, qui ascendit de Edom?* Vis scire naturam Dei, hoc scito, quod nescias. Plus cæteris scies? Gentilis homo videt lapidem, et Deum putat; Philosophi vident cælum, et Deum putant. In eo quod se scire dicunt, nesciunt. In die Judicii non damnor, quia dico: Nescivi naturam Creatoris mei. S. AUG. s. de *SS. Trin.*

Quisque credit vicinis suis et matri, licet nesciat, quando fuit genitus ab illo patre, et natus ab illa matre; tamen requisitus statim incunctanter respondet, illum esse suum patrem, et illam suam matrem, licet nesciat nisi ex auditu suorum, nec alienis crederet de contrario. Sic per peccatum Adæ in hoc carcere nati et nutriti, debemus credere matri Ecclesie et vicinis, sanctis illis ejus de his, quæ pertinent ad fidem, licet ea non viderimus. FELL. *Spec. Mor. l. I, dist. XIV, p. 3.*

Credite illi, qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc futura omnia prædixit. Credite illi, qui credentibus præmia æternæ vitæ dabit. Credite illi, qui ineredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ poena perfidiae, cum Judicii dies venerit? S. CYPRIANUS.

Quæ evidentior, quæ diu sunt expectata, suscepiamus, fiducialiter necesse est, quæ sunt expectanda, credamus. Si fortis fuit fides, quæ experimenta præcessit, fortior debet

esse, quæ jam manifesta subsequitur. Idem, *hom. X, de Pasch.*

Ece quid a te requirit immensa illa pietas, quod facile possit implere nuda paupertas, despecta mediocritas, inducta simplicitas; non per multas distraharis ambages, ne duris difficultatibus occupandis involvaris. Quod a te et pro te repositur, intra te est, id est, oris famulatus et cordis affectus, secundum illud: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. In anima ergo tua posuit omnia animæ tuæ præsidia Deus tuus; ut, unde peccatum egreditur, inde et peccati medicina peteretur. S. CHRYS. *sup. Matth. XXV.*

Tenet me in Ecclesia consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. S. AUG. I. de *Util. Cred. c. IV.*

Quisquis adhuc prodigia quærit, ut credat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. *Idem, c. VIII.*

Domine, si error est, a te decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigijs confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt. *RICH. VIC. Sent. 1, de SS. Trin. c. II.*

Quid non invenit fides? Attingit inaccessa, comprehendit immania, apprehendit novissima; ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumdedit. S. BER. *super Cant.*

Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit, non argenti, sed fidei. S. AUG. in *l. de Oribus.*

Noli intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei est. *Idem, sup. Joan.*

Totum in se habet homo, qui se habet; ipse autem se habet, qui Deum habet; Deum vero habet, qui eum credit, et confitetur Auctorem. *CASSIOD. sup. illud Ps. Quia factus sum uter.*

Credenti præmium dabitur, si quod creditur, et geratur. S. CYPRIANUS.

**NECESSITAS.** — Qui non credit, et tamen quædam fortasse bona opera facit, similis est illi, qui aquam haurit, et in dolium pertusum infundit. S. CLIM. in *Scala Perard.*

In petra Moyses ponitur, ut Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam presentiam non agnosceret. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; frange ra-

mum ab arbore, fructus germinare non potest; a fonte præcide rivum, præcisus aresecit. S. AUG. s. de *Symb.*

Fide carensustus esse non potest. S. GREG. *super Ps. VII.*

Deus non glorificatur absque fide in Christum. S. BASIL. in *Apolog.*

**UTILITAS.** — Fides prava desideria frenat, effrenes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, vitia pellit, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat, in prosperis non erigitur, in adversis non dejicitur, nihil est tam arduum et tam durum, quod non aggrediar propter Deum, qui viva fide credit in Deum. S. THOM. VII. in *Oct. Pasch.*

O gratiosa et amabilis fidei virtus! Quis igitur te non amat, quæ fundamentum es omnis gratiæ et virtutis? Purgas peccata, vivificas animas, illuminas cæcos, distinguis electos, connectis membra capiti nostri Christo, animas fideles Deo facis sponsas, protegis et defendis, probas justas, miracula operaris, in omnibus triumphas, atque æterna felicitate perseverantes in te, coronas. S. BER. I. s. IV, a. s. c. I.

Hanc nobis fidem velut lampadem Christum adveniens errantibus exhibuit, viam monstraturus, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inveniri. Quemadmodum Ecclesia navi, ita fides anchoræ assimilatur, dicente Hugone Victorino: Quicumque ab initio mare præsentis sæculi salubriter transfretarunt, quicumque ad portam salutis pervenerunt, omnes in navi fidei navigaverunt, et transierunt. Anchora navim assecurat; ita quoque, teste D. Chrysostomo, fides in Deum, quasi secura quædam anchora; quam eandem doctrinam in Psal. 113, commentario, ubi de fide tractans, idem repetit S. Doctor in hæc verba: Ejusmodi res est fides quædam sacra anchora, quæ undique sustentat mentem, quæ ei adhæret. Et in Th. 3, sermone quodam eandem idem Doctor prosequitur allusionem, verbis sequentibus: Quemadmodum navim ventorum impetu jactatam et fluctuum assultu demissa anchora omnino stabilis, et vel in medio pelago radiat; ita etiam mentem nostram extraneis cogitationibus jactatam adventu suo fides ex imminente naufragio liberat, tanquam in tranquillum portum, in conscientie certitudinem, deducens. In quorum confirmationem prædictus Sanctus illum Apostoli ad Hæbreos textum adducit, dicentis: Quam sicut anchoram habemus

anime tutam ac firmam. *EUSEB. EMIS. hom. II, de Symb.*

Nihil efficacius ad superandas diaboli, carnis et mundi tentationes, quam si quis fidem suam diligenter exerceat, ac frequenter ante mentis oculos ponat bona nobis in futuro promissa. *ESTIUS, in c. VI, Eph.*

Fides in Deo est secura anchora. S. CHRYS. *super Gen. VI, hom. V.*

Fideli homini totus mundus plenus divitiarum est. *Idem, ibid.*

**DIGNITAS.** — Fides Religionis Catholice est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. S. BER. *super Cant. XII.*

Fides prima et initialis est inter omnes virtutes, et quasi capitalis honorificentia summi Dei. Ipsa nempe caput humane mentis, id est, intellectum, ad adorandum et venerandum altissimam Dei Majestatem primum incurvat, atque inclinat, quemadmodum Apostolus ait: Per fidem in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei. S. BER. I. I, § 2, in *Princ.*

Fides virgo est integerrima, talisque nobis a Christo tradita, quam, ut stuprare conantur hæretici, sic Catholici eam omnino incorruptam caste tueri, necesse est. *TERTULL. I. de Præscript.*

Confer doctrinam fidei dogmatibus Philosophorum, et libris eorum, et splendori eloquentiæ, et compositioni sermonum, et videbis, quanto minor sit cæteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa cum creverint, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrant, sed totum flavidum marcidumque et mollium ebullit in olera et in herbas, quæ cito aresecunt et corrunt; hæc autem prædicatione, cum in anima credentis sata fuerit, crescit in arborem. S. HIER. *apud Stapf. Dom. II, post Epiph. them. II.*

Magnarum hic vigor est mentium, et valde fidelium hoc lumen est animorum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu. S. LEO, s. I, de *Ascen. Dom.*

**FIRMITAS.** — Cum ab ortu solis usque ad oceanum lex divina suscepta sit, et omnis sexus, omnis ætas, et gens, et regio unitis ac paribus animis Deo servant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendebatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod cum religionem non tantum injuriis ac vexationibus non solvat, sed

augeat semper, ac faciat firmiorem. LACTANTI. I. V, cap. XIII.

Nullo crudelitatis genere destrui potest, sacramento crucis fundata, religio; non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augeatur, et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. S. LEO. s. 1, in *Natali Apost.*

Talis est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei in periculis secunda est, in securitate periculosa. Quid enim aliud sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas? S. CHRYS. *super xx, Math.*

Nulla sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fides Catholica. S. AUG. s. 1, de *Verb. Apost.* c. IV.

Tertia firmitas fidei ex testimonium concordia plena, quæ est in tribus, in eloquio Scripturarum, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum. De medio petrarum dabunt voces, hoc est, de medio duorum Cherubim, de quibus loquebatur Dominus, sive de quorum medio, scilicet duorum Testamentorum. S. BONAV. s. IX, in *Hexam.*

Nonne si fluctat fides, inanis est spes nostra? Stulti ergo Martyres nostri, sustententes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sed dubio remunerationis præmio, durum per exitum diuturnum inire exilium, sed absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum, et non magis totum, quod in ea est, certa, ac solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilium, et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. S. BER. *Ep. exc, ad Innocent. Pap. lit. F. sicut tom. I, tract. de Error. Abelardi*, c. IV, f. 114.

Fides, juxta Apostolum, est substantia rerum sperandarum, non inanum phantasia conjecturarum. Audis substantiam? Non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu, non hæc illoque vagari per inania opinionum, per devia errorum; substantiæ nomine, aliquid tibi certum fixumque præfigitur, non est enim fides æstimatio, sed certitudo. S. BER. *ep. exc, ad Innocentium Papam, paulo supra cit.*

### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Beata simplicitas, quæ difficiles questionum relinquit vias, et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei. L. IV, c. XVIII.

Fides a te exigitur, et sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt, quomodo comprehendes, quæ supra te sunt? *Ibid.* § 2.

Subdere Deo, et humilia sensum tuum fidei, et dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit utile ac necessarium. *Ibid.*

Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas a diabolo dubitationes responde, sed crede verbo Dei, crede Sanctis ejus et Prophetis, et fugiet a te nequam inimicus. *Ibid.* § 3.

Quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest. *Ibid.*

Gratitur Deus cum simplicibus, revelat se humilibus, dat intellectum parvulis, aperit sensum puris mentibus, et abscondit gratiam curiosis et superbis. *Ibid.*

Omnis ratio et naturalis investigatio fidem sequi debet, non precedere, nec infringere. Si talia essent opera Dei, ut facile ab humana ratione capi possent, non essent mirabilia, nec ineffabilia dicenda. *Ibid.* § 5.

Fili, caveas disputare de altis materiis et de occultis Dei judiciis. Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad investigandum judicium divinum ulla ratio prævalet, vel disputatio. L. III, c. LVIII.

Curiositas nostra sepe nos impedit in lectione Scripturarum, cum volumus intelligere et discutere, ubi simpliciter esset transeundum. L. I, c. v.

### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

DIGNITAS. — Quidam Martyr, teste Eusebio, a Tyranno rogatus, quod ipsi nomen esset? qua domo natus esset? liberne an servus? ad singulas questiones nihil aliud respondit, quam: *Christianus sum*, ratus hoc uno titulo omnes honoris titulos satis comprehendi. L. IV, *Hist. Eccl.* c. 1.

Blandina virgo, dum clamat: *Christiana sum!* immanes cruciatus non superavit modo, sed risit etiam, et tanquam inter delicias exultavit. *Ibid.*

Cum Quintilianus, Siciliae Praetor, S. Agathæ diceret: Nonne pudet te, nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? Respondit illa: Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, Regnum opibus et superbia. *Statuts*, 5. *Feb.*

Ludovicus, Rex Gallia, nullibi jucundius, quam Passiaci, agebat, quod ea in urbe baptismo ablatus in Christianorum Album transcriptus esset. Atque id crebris sermonibus usurpare solebat, nulla parte regni sui, quam illa ipsa in urbe, tantum se honoris et gloriæ unquam perceperisse. *Vita, et Poet. Christian.* p. I, c. 1, § 1, n. 6.

Ingo, Dux Carantanorum, (qui ad fontes Savi et Dravi habitant, hodie Carinthi dicti) multos ex suis Satrapis hæc ratione fecit Christianos. Anno salutis septingentesimo nonagesimo primo convivium laute instruxit, et vilem plebeculam simul cum Satrapis suis invitavit, sed præ foribus recumbere jussit, pane tantum cibario et carneola rancia pavit, vinumque fictilibus propinavit austerum; contra pauperulos suæ mensæ adhibitos, vino nobili aureis argenteisque poculis propinato, lauta insuper coena refecit. Quod cum nobiles indignè ferrent, ac in sui contumeliam fieri stomacharentur, ita respondit: Pauperulos ideo honore hoc affeci, quia sacro lavaero abluti sunt, vos vero reliqui foris, quia sordibus squalentes, hircumque impietatis olescentes, mihi nauseam facitis. Hæc ergo ratione castigati nobiles intra breve tempus, sub Amone Juvaviensi Episcopo, Christi fidem avidè susceperunt. *BRUNNER. Annal. Boicorum* p. II. l. VI. n. 6.

UTILITAS. — Tempore sancti Sylvestri, quando Constantinus Magnus recenter ad fidem accesserat, perque eum aliorum populorum conversio sperari poterat, magnus ille Sacerdos, ut Bellovacensis refert, sequens patravit miraculum. Cum enim Helena sacer Christianæ fidei mysteriis nondum initiata esset, ad illa tamen plurimum propenderet, Judæi vero e contra eandem, ne Ecclesiæ crederent, pervertere niterentur, multi ex paganis sapientissimi, ex altera vero parte cum Sancto Sylvestro et multis Episcopis simul congregati fuerunt, cumque duo pagani controversiæ judices constituti fuissent, Sanctus Pontifex autem eosdem multis

confutasset argumentis, Judæus quidam eisdem opposuit, Christianos adorare Crucifixum, se vero certum quoddam nomen Dei nosse, cujus virtutem ne ipsa quidem saxa sustinere valeant, ac proinde ferocissimum quemdam taurum coram se produci fecit, ut ostenderet, quod nec hic virtutem hujus nominis sustinere valeret; cui cum in aures nescio quod nomen insurrasset, taurus statim mortuus concidit, cunctis vero factum hoc admirantibus. Sylvester nil magnum esse ait, taurum occidere, cum hoc et araneæ possint, imo et medicum venenum animal interimere queat; neque insurratum hoc nomen Dei nomen esse dixit, sed demonis, cum Deo proprium sit vivificare, demonis vero occidere. Potius igitur Dei virtutem exinde colligendam esse ait, si insurrato eodem nomine occisum hunc taurum vite restituit. Tunc igitur deputati iudices Judæum adigerunt, ut taurum resuscitaret; quibus ille, se id minime facere posse, ingenere fassus est. Sylvester igitur invocato Crucifixi nomine, Christianis seorsim orantibus, taurum in Crucifixi nomine præcepit, et surgeret, qui statim redivivus surrexit. Quo viso Judæi presentes una cum Helena ad fidem conversi sunt, et baptizati una die plusquam tria millia hominum. *BEUL. Spec. Mor.* l. II, *epist.* XIX.

Cum Wandali universam Franciam et Hispaniam cum non modico utriusque regni dispendio pervagarentur, multosque Episcopos Catholicos ingentia prodigia patrantis secum in servitutem abducerent, Episcopos quidam Arianus, Cirola nomine, (Catholicorum Episcoporum rationibus et argumentis, specialiter vero miraculorum fama, quam sibi per cæci ejusdem illuminationem comparant, convictus et confusus) ut se quoque miraculorum dono pollere ostenderet, ad fraudes et technas confugit, ut hæc ratione hærescos suas assecas in secta confunderet. Cuidam enim sue sectæ quinquaginta aureos eo pacto donavit, ut caecum se, et ab eo illuminatum esse, fingeret. Cum autem transiret Cirola cum exercitu Wandalarum et Episcopis captivis Catholicis, exclamavit dictus homo: Audi me, beatissime Cirola, respice cæcitate meam, et experiar virtutem tuam, qui reddis cæcis visum, surdis auditum, leprosum mundas, mortuos suscitatis! Tunc Cirola eum trahens ad partem, ait, tangens ejus oculos: Secundum fidem nostram, qua recte credimus in

Deum, aperiatur oculi tui, et videant! Quo dicto inceperunt oculi miseri hominis inflari, et tantus dolor eum arripuit, ut vix posset digitis oculos comprimere, quin creperantur, et præ dolore ejulans omnibus dolum detexit, et clamabat projiciens aureos: Ecce aurum tuum, redde mihi visum meum. Tunc bono usus consilio, clamans et ejulans, projecit se ad pedes Episcoporum Catholicorum, abnegans Arianas perfidias et profitens fidem Catholicam. Tunc, beato Eugenio Episcopo crucem ejus oculis imprimente, sanitatem et visum recepit. Videns Hunnericus, Rex Wandalarum, sectam suam confundi, et fidem exaltari, sanctos diversis suppliciis lacervavit, quo facto sol obscuratus est, et dictus Hunnericus a diabolis arreptus, propriis dentibus se lacervavit. Idem *Hist. Franc.*

Hæretico cuidam Eunomiano multa adversus fidem Catholicam argute, et ex arte dialectica disputanti, respondit quondam S. Macarius: Non est, inquit, in sermone Regnum Dei, sed in virtute. Eamus ad sepulchra, et nomen Domini super mortuum, qui primus occurret, invocemus, sicut scriptum est, ostendamus ex operibus fidem nostram. Quo audit hæreticus assensum simulans, in crastinum rem differri petiit, sed a S. Macario expectatus, cause diffidens non comparuit. Pergit nihilominus vir sanctus cum plebe, quam ista prava sua doctrina infeccerat, ad condita sepulchra, ibique vetustissimi cadaver allocutus: O homo! ait, si venisset huc mecum hæreticus ille filius perditionis, et astante illo nomen Christi Dei mei super te invocassem, surrecturusne eras, coram his, quos iste per fraudem pene subverterat? Ad hæc surgens mortuus cum interroganti ammisisset, et se sub antiquissimis Regibus, ante Christum, vixisset narrasset jussus est a Macario in pace ad ordinem suum redire, in fine temporum exsuscitandus. *Pædag. Christ.* p. II, c. xxii, § 1.

Phillippo, Francoorum Regi, perniciem struxerat Magus quidam cereæ imaginis incantatione, ita nimirum, ut in imagine igne absumpta, Rex quoque secreto morbo absumptus moretur. Hanc perniciem a se non aliter, quam fide, depulit. Cum enim allatum ad se imaginem in ignem abjecisset: Videbimus, inquit, si potentior erit dæmon ad me perdendum, quam Deus meus ad me conservandum. Ita Gerson. tract. *de Erroribus circa artem magicam* p. 1.

Zacoms tribunus carebat liberis, ætate jam senescens. Et cum Monachum quemdam magna gloria virum adisset, cum alia pleraque ei per colloquium exposuit, tum ærumnam quoque eam et casum deploravit; supra modum enim apud Saracenos magni penditur liberorum procreatio, nec apud eos modo, sed etiam, ut arbitror, apud Barbaros omnes. Ille bono animo eum esse, precatatione facta, et reverti domum jussit, fore pollicitus, ut brevi pater fieret, si modo in Christum sibi credendum esse statueret. Postquam autem dictum id eventus comprobavit, et filius progenitus promissionem illam veram esse confirmavit, et ipse Zacoms Religione nostra est initiatus, et tribum eam omnem, cui præfuit, ad eandem gratiam adduxit. Ab eo tempore tribum istam admodum floruisse, magnaque et numero et amplitudine incrementa cepisse, atque Saracenis et Persis formidabilem fuisse, dicunt. *NICEPH.* l. XI, c. IV.

Constantinus, qui primus publicæ ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo fere modo Maxentium vicit, quo Moyses Pharaonem. *EUSEBIUS Cas.* l. IX, c. IX.

S. Augustinus ait: Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet; universum orbem Romanum unus Augustus tenuit et defendit, in administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit; in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est; grandævus ægritudine et senectute defunctus est. Filios imperantes reliquit. S. AUG. l. V, *de Civ. Dei* c. xxv.

Theodosius senior, quia vere pius et Catholicus erat, adeo omnia prospere ei cesserunt, ut in præliis hostium tela in auctores, Deo dirigente, retorquerentur. S. AUGUST. *ibid.* c. xx.

Honorius ob similem causam plura quam centum millia Gothorum uno prælio vicit, ne uno quidem ex Romanis vulnerato aut extincto. *Ibid.* c. xxiii.

Justinianus senior, quamdiu Catholicus fuit, feliciter imperavit, multasque Provincias Romano imperio restituit; at ubi hæreticus factus, edictum de sua hæresi recipienda proponere voluit, repentina morte sublatus est. *EVAG.* l. IV, c. xvii.

Dani, quia prædicationi Evangelii resistebant, tanta cæde mactati sunt, ut vulgus omne caderet, de stirpe autem regia nemo

remaneret præter puerum, Hericum nomine, qui et ipse quidem ab igne resistebat, sed postea ab Ansgario Confessore conversus, etiam suos publico edicto ad Catholicam fidem recipiendam compulsi. *BARONIUS, ann.* 838, § 1.

Cum Valens Imperator, Catholico Duci contra Gothos misso, et victo, suam ignaviam objecisset, Dux libere respondit: Non ego, o Imperator, victus sum, sed tu ipse victoriam perdidisti, qui contra Deum aciem instruere non desinis, et ita ejus auxilium Barbaris concillas. *THEODOR.* l. IV, c. xxiii.

Theodoricus Rex famulum, qui in ipsius gratiam fidem Catholicam deseruerat, ense transfodit, dicens, fieri non posse, ut homini fidem servaret, qui Deo fuisset infidelis. *ETSEB.* l. IX, c. xxx.

Cum Christiani Moluccenses a fide Catholica suscepta se iterum a Rege suo abstrahi permisisset, tanta eorum agros alioqui fertilissimos sterilitas invasit, ut toto defectionis tempore, licet sæpius repetita satione, nullum fructum proferrent, sicutque multi fame perirent, liquet peste, aut bello a paucissimis viciis interirent. *DATROULT.* c. I, tit. xviii, n. 30. *ex ep. Moluccan.* 1565.

Custos carceris, in quo detinebantur S. Paulus et Silas, videns terræ motum fieri, et carcerem aperiri, tremefactus prociidit ad pedes eorum dicens: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum Christum, et salvus eris. *Act.* l. vi.

VERITAS. — Cum Rex quidam Babylonia Christianis imperaret, ut fidem, quam prædicabant, aut montis, quem designabat, translatione probarent, aut eandem, nisi tamquam impostores capite damnari vellent, repudiarent; perplexis ad hoc imperium Christianis, adfuit de celo Angelus, qui pro suis orantem Episcopum monuit, ut monoculum quemdam Anianum olim S. Marci discipulum deligeret, qui indicto prius jejuniu triduanu monti mandavit, ut inde se moveret; quod tanta celeritate fecit, quanta navis in mari, que vento impellitur. Quo prodigio motus Rex cum omni populo Christianis accensus est, et templum præcipuum Dei Matris honori edificavit. *PETRUS DE NATALIB.* l. IX, c. xix.

S. Dominico cum Albigenisibus hæreticis disputante, ita inter eos convenit, ut ejus partis fides, que compendio in charta descripta, et in ignem missa illæsa servaretur,

TOMUS II.

haberet legitima; igitur hæreticorum liber illico ab igne consumptus est; S. Dominici vero charta non tantum illæsa mansit, sed etiam tertio igni injecta, tertio inde resiliit. *D. ANTON.* 3 p. *Sum.* t. xix, c. 1, § 4.

Cum in Concilio Nicæno duo Episcopi ante finem illius mortui essent, reliquique Patres ad eorum sepulchra accedentes dicebant: Dilecti fratres, quia socii nostri fuistis in condendis decretis, etiam in confirmandis socii estote. Ita perdurantes in oratione, et decreta in sepulchro relinquentes, mane a duobus Episcopis subscripta repererunt. *Ibidem.*

Cum Concilium Chalcedonense hæreticum Dioscorum et errores illius damnaret, et illi, qui ei adharebant, acquiescere nolent, Patres reliqui Concilii decreta ac errores Dioscori super sepulchrum S. Euphemie posuerunt. Quo facto, sequenti mane, Patrum quidem decreta in manibus S. Euphemie, Dioscori vero errores ad pedes jacentes sunt reperti. *Ibidem.*

S. Helenus cum hæretico disputans pactum fecerat, ut fidei probandæ gratia uterque ignem accensum ingrederetur; quod ipse quidem illæsus præstitit, sed hæreticus intrare recusans cum violenter in eum conjectus esset, opem S. Heleni implorans ab eo non sine grandi confusione ereptus est. *Ibidem.*

Ad Judæorum suggestionem odio prosequentium Anianum, Divi Marci Evangelistæ Alexandriae successorem ac discipulum, Rex Babyloniæ mandavit, ut quia in Evangelio Christianorum continetur, quod habentes fidem sicut granum sinapis, montes transferre possunt, quatenus Christiani montem magnum de loco suo transferrent alioquin, aut fidem abnegarent tanquam falsam, aut capitalem sententiam omnes subirent. Episcopo igitur cum omnibus Christianis ex hoc admodum afflictio, et Deum pro fide sua suppliciter exoranti per Angelum revelatur, neminem adhuc ex fide sua idoneum nisi monoculum Anianum. Vocatus igitur ab Episcopo, omnique populo indicto jejuniu triduanu, ipse confusus in Domino monti mandavit; mons continuo moveri cepit, de suo loco recedens, tantaque celeritate versus Babylonium veniens, quanta navis per æquora vento pellitur, eousque divinitus delatus, donec ad preces Regis monti mandavit, ut figeretur, ne in civitatem irrueret, et eandem opprimeret, sicutque ibidem fixus

usque hodie manet, propter quod miraculum Rex cum omni populo, Ecclesiam principalem in Babylonia in honorem Dei genitoris edificavit. *PET. NAT. in Catal. Sanctior. l. IX, c. XIX.*

Beatus Leonthus, Antiochie in Syria Pontifex, vir et fide et religione in Christum laudatissimus acerrimusque veritatis propugnator, xenodochia studiosissime curabat, quibus viros pios, qui peregrinorum curam gererent, prefecit. Fuere inter hos, tres præ cæteris ardentis pietatis cultores, qui negotiorum causa in vicum ad decimum septimum milliarium Antiochia distantem (Thracum nomine) una profecti, comitem in itinere Judæum habuere. Vix dux inter pios tres erat Eugenius religiosissimus. Ergo dum una iter faciunt Eugenius sermonem orsus aggreditur Judæum, et de fide in Deum, Dei unicum Filium disputat, Judæo vero argumenta omnia per ludibrium eludente, serpentem in ipsa via, mortuum offendunt, et mox Judæus ad comites: Si, inquit, hunc anguem devoraveritis, nihilque inde detrimenti ceperitis, Christianam me profitebor. Exemplo igitur arreptum Eugenius colubrum in tres divellit partes, unamque ipse, duas reliqui, spectante Judæo, absument, salvique persistent. In quibus Evangelicum illud et salutare oraculum expletum est: Et serpentes in manibus suis tollent, et si mortiferum quid biberint, non illis nocent. Judæus cum illis ad xenodochium reversus in eo mansit Christianique fidem suscepit. *MATTH. RADER. in Viridario Sanctorum.*

Anno Christi Domini nongentesimo quadagesimo nono contigit contentione fieri super cultum Deorum in quodam convivio, Rege presente, Danis affirmantibus, Christum quidem Deum esse, sed alios majores eo fore Deos, quippe qui potiora mortalibus signa et prodigia per se ostenderent. Contra hæc Clericus quidam, nunc vero religiosam vitam ducens, Episcopus, nomine Poppa, unum verum Deum Patrem cum Filio unigenito, Domino nostro Jesu Christo, et Spiritu Sancto, simulacra vero Dæmonia esse testatus est. Garaldus autem Rex, qui velox traditur fuisse ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, si hanc fidem per semetipsum declarare velit. Ille incunctanter velle respondit. Rex custodiri Clericum in crastinum jubet. Mane autem facto, ingentis ponderis ferrum igne succedit

jubet, Clericumque ob fidem Catholicam candens ferrum portare jussit. Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tandemque deportat, quo ipse Rex decernit. Manum incolumem cunctis ostendit, fidem Catholicam omnibus probabilem reddidit. Ad hæc Rex conversus Christum Deum solum colendum decernit, idola respuenda subjectis gentibus imperat, Dei Sacerdotibus et ministris honorem debitum deinde præstitit. *SAXO. lib. X, Hist. Dan.*

Anno Domini quadringentesimo septuagesimo primo evenit, ut duo Philosophi, quorum alter Arii rabie infectus, dicendi ac disputandi arte instructissimus, alter virtute, religione et recta fide orthodoxa ornatissimus erat, de doctrina contenderent. Porro orthodoxo et recte sentienti visum est, verborum contentione relicta, ad rem ipsam descendere ac veritatem explorare; videlicet, ut rogo ingenti accenso sese in ignem conjicerent. Quod ubi Arius detrectavit, Orthodoxus igni se contulit, atque inde cum impio sermonem conferens, disputavit, salvusque etiam vestibus intactis permansit. *NICEPH. CALIST. l. XV, c. XLII.*

**FIRMITAS.** — In civitate Negra puer quidam, cum mater pro Christo ad rogem fuisset damnata, Tyranni, qui eum retinere volebat, femur momordit, sicque liberatus ad matrem cucurrit, et eum ea crematus est. *NICEPH. l. XI, Hist. Eccl. c. VI.*

D. Antonius moriens inter alia hoc dixit: Custodienda est pia fides in Christum, et Patrum religiosa traditio, quam ex Scripturarum lectione, et crebro mee parvitas didicistis admonit. Schismaticorum quoque et hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium consecutami, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quod nullus mihi ne pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter eorum pravam voluntatem, et pertinax contra Christum bellum. *BARON. an. 318.*

S. Diaconus, de genere, patria, fide, nomine quaesitus in mediis tormentis, nihil aliud respondit quam: *Christianus sum*, hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina, aliud nihil sum. *EUSEB. l. V, c. 1.*

S. Gordius Martyr suadentibus quibusdam, ut lingua tantum negaret fidem, respondit: Negero ego Deum meum, in cujus cultum educatus? Nonne eolum, sol et luna lumen mihi clauderent sum? Credo profecto humum, quam pedibus tero, mihi rui-

turam. Lingua, quam Dei beneficio retineo; adduci non potest, ut Auctorem suum negeret. *BARON. an. 304.*

Benjamin Diaconus ab Isdegerde, Persarum Rege, ad Christum negandum pellectus, dixit: Quo tu supplicio dignum arbitraberis eum, qui a castris tuis fugitivus, hostibus tuis se jungeret? Cumque ille responderet: Morte crudelissima. Subiecit Diaconus: Quam ergo crudeli morte dignus erit, qui Deum suum, ac universorum Dominum audeat negare, tantum ut ne vili creaturæ displiceat? *THEODOR. l. V, c. XXXVIII.*

S. Polycarpus Herodi Proconsuli rogem minifanti, nisi Christo malediceret, respondit: Octoginta et sex annis servivi Christo, et nihil me læsit unquam, quomodo ei maledicam? *EUSEB. l. IV, c. XV.*

Bellovacensis de illustri quopiam viro, qui Marchio de Monteferrato vocabatur, refert, quod, cum per multos annos cum ingenti sumptum impendio omnes sibi comparasset sectarum fidei Catholice contraria rum libros, eosque diligenter legisset, et examinasset, existimatam ab omnibus fuerit, fore, ut appropinquante mortis hora tamquam alienus a fide et Ecclesia Catholica moriturus esset, maxime, quia dominia ipsius proxime ad Albigenses limites contemnerentur. Hic autem in agone de fide interrogatus, hoc edidit responsum: Verum est, curiosus fui per quadraginta annos cum multis sumptibus libros sectarum omnium colligere et legere, et studere in eis, et quia videbam, quod, quanto plus ibi aspicerem, tanto magis in fide Catholica roborabar, et plus hæreses abominabar, videns fallaciam traditionis eorum, in signum hujus vilipensionis, quam habebam ad alias sectas, feci fieri sermum ligneum, quod feci poni sub pedibus meis, quando sedebam in sedē camerae private, quasi non possem ipsas sectas magis vilipendere, nisi pedibus meis subessem, quando sedeo vile naturæ officium expleturus. Evangelia autem Domini mei multo honore servavi. Ratio igitur, cur vir hic illustris tot sibi hæreticorum libros procuraverat et evolverat, non fuit, quia in fide Catholica vacillabat, sed quia Albigenses dominio suo vicinos habens, scire volebat eorum, et aliarum sectarum errores et deceptiones, ut in quavis obvia occasione hæreticam sacrilegorum illorum pertinaciam confutare et convincere posset; imo omnes illos libros impios et hæreticos coram

se abduci, et in sua presentia comburi jussit. *BELLOV. t. III, l. I, dist. XIV.*

S. Augustinus, qui usque ad trigesimum tertium ætatis suæ annum se Manicheorum sectam pertinaciter secutus fuerat, cognita per divinam gratiam veritate Catholica, calamo suo eandem ad mortem usque defendit; hancque notabilem protestationem, qua causas, que illum in Ecclesia continebant, declarat, sequentibus verbis edidit: Tenet consensus populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata; spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascebas oves suas post resurrectionem Dominum commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum; tenet postremum ipsum Catholice nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut, cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniant, nullus Hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. *S. AUG. contra Epist. Manich.*

S. Petrus Martyr, Prædicatorum decus, Italiae speculum, fidei pugil ac propugnator egregius, in Gallia Cisalpina, quam Longobardiam vocant, civitate Veronensi a parentibus hæresi depravatis traxit originem; nihilominus ita mundum se ab eorum erroribus servavit, ut neque blandis parentum dolis, neque multa verborum frequentia, ad hæreticorum sive colloquia, sive consortia, vel induci poterit, vel compelli. Quod enim a natura videmus homini, cæterisque animalibus attributum, ut homo serpentis, agnus lupi conspectum horreat, et inditam hosti savitiam sentiat, hoc puerum bonæ indolis unctio celestis edocuit, ut venentorum serpentum consortia fugeret, et lupos rapaces, pellibus ovinis tectos, inimicos intelligeret, eorumque commercia vitaret. Nam parvus puer annos natus plus minus septem, cum die quodam a scholis rediret, quibus erat traditus litteris imbuendus, et in patruum hæreticum, et magnum Diaboli laqueum, incidisset, et lectionis suæ pensum ei reddere cogetur, Christianæ fidei symbolum illico recitavit, dicens: « Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem celi et terræ, » et reliqua. Ad patruus, qui strenuus perfidia Manicheorum patronus erat, cum ab ejus fidei professione puerum, tamquam rudem quendam tyrunculum aver-

tere niteretur, ac depromptis, ex sacris litteris, ad errorem confirmandum, argumentis, persuadere vellet, non Deum, sed Diabolum potius esse visibilium conditorem, puer nullo modo cedere voluit, constanter ac præcise Deum universorum esse conditorem asserens. Quod ille Satana venator ac minister, cum accurate mente perpenderet, omnibus modis patri pueri persuadere conatus est, ut Petrum a scholis removeret, veritus, præcario minime dubio, id quod res erat, ne puer adultus, sua cruditione ac pietate ingentem perfidiam Manicheorum stragem inferret. Sed pater, divino plane nutu, ab ea mente abhorrens, patri monita rejectit, sperans filium, postquam prima rudimenta deorasset, per heresiarcham aliquid ad suam sectam nullo negotio pertrahendum. Is Martyrium subiit, anno Domini 1252, sequenti vero anno relatus est in numerum Sanctorum ab Innocentio Papa quarto. Symbolum Apostolorum, quod puer in scholis invito patre hæretico a Catholicis didicerat, tanti semper fecit, ut, cum illud adversus hæreticos in vita sæpe usurpasset, idem etiam inter trucidantium eum, hæreticorum gladios recitari, immo cum jam loqui non posset, sanguine suo in terra scripsit hoc verbum: *Credo. LIPELLAES. 27 April.*

In Edessa Mesopotamiæ civitate, Martyrium est Sancti Thomæ Apostoli splendidum et illustre; in quo frequentes conveniunt propter loci sanctitatem. Cum hoc Valens Imperator cernere vellet, cognovissetque universam conventium multitudinem hæresim suam detestari, fertur Præfectum manu percussisse, quod non curasset, eos inde expelli. Præfectus autem, cum contumelia hæc accepta paratus esset vel invitus Imperatoris iram morem gerere, occulte (non enim tot virorum eadem perpetrare volebat) significat, ne quisquam in Martyrio deprehenderetur. Verum nemo acquiescebat illius nec consilio, nec minis. Omnes enim sequenti die ad oratorium conflant. Cum autem Præfectus multorum militum manu stipatus, ut Imperatoris iram exqueretur, ad Martyrium illud properaret, mulier quædam paupercula filium suum manu trahens ad Martyrium curriebat, et ordinem satellitum Præfecti interrumpebat. Indignatus autem Præfectus, mulierculam ad se duci jubet, illamque alloquitur, dicens: Quo tam incoedite curris, infelix mulier? Cui illa: Quo alii, inquit, currunt. Ille vicissim: Non audisti, inquit,

Præfectum cunctos interempturum, quos ibi repererit? Mulier: Audivi, ait, et ob eam causam festino, ut et ipsa ibi inveniar. Audito hoc, Præfectus admiratur convenientium demerentiam, Imperatoremque accedit, ac instruit, cunctos esse pro fide sua morti paratos; nec consummæ esse rationi, ut tantis hominum numeris brevi tempore occidatur; Atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit. *SOCRAT. l. I, hist. Ec. c. XVIII.*

Ante annos complures navim quædam Turcæ deprædati sunt, in qua permultos Lusitanos in captivitatem abduxerunt, cum triginta adolescentibus Indis; quorum qui minimus erat, novem annos habebat; maximus natus decimum sextum nondum excesserat; quos importune, ut Turcicam legem susciperent, nunc blanditiis, nunc minis, flagellisque adhibitis sollicitarunt. Post tamen cum exquisitis suppliciis, crudelitateque summa, licet in eorum vibices laridum accensum guttatim instillasset (quod usitatum est apud eos genus tormenti) quemquam a fide Jesu Christi potuerunt dimovere. Quare indignati tyranni, vi eorum unum circumcidere, cui cum pueruli acclamarent, eum tandem Mahometanum esse, quod circumcisus esset, illis iste respondit, cum vi circumcisus sit, non voluntate, Christianum se vere adhuc esse. *DAVOLT. Flor. Exemp. c. 1, tit. XXI, ez. XIV.*

Philippus II, Hispaniarum Rex, Religionis Catholicæ suo tempore studiosissimus, multa ætate confectus, anno Domini 1600, cum esset e terris in cœlum abiturus, post susceptum Unctionis Extremæ Sacramentum filio suo Philippo astanti hæc præceptiones dedit: Deus tibi magnam gratiam fecerit, si te ad eum gloriæ apicem, in quo me vidi, eveherit; et te, sicut me prosperavit. Te ex animo obtestor, ut, cum id assecutus fueris, hujus lecti, in quo me vides, et ubi omnis hujus mundi gloria sistit, memineris. Tibi commendo sedi Apostolicæ obedientiam, fidei Catholicæ protectionem, et Religionis Christianæ zelum, Reipublicæ pacem, et in subditos justitiam. Si Deus hæc consilia mea firmaverit, suum Regem non amiserit hoc regnum, sed solum cum fructu commutaverit. *Ex Vita ejus.*

Theodosius Imperator, qui multis laboribus et periculis non mediocrem effecit tranquillitatis statum, tam in Ecclesia ab hæreticorum turbulentis actionibus, quam ab hostium insidiis ac perfidis incursionibus,

cupiens eam felicitatem ad posteritatem transmitti, filios suos Arcadium, et Honorium accessit, jam moriturus, ardentiore affectu, et oratione magis seria cohortatur, per salutem ipsorum et reipublicæ obtestans, ut sua vestigia insequentes hoc sibi unice curæ esse vellent, quo fidei et pietatis doctrina pura et incorrupta conservaretur, et ad posteros propagaretur; in eo conando nullis laboribus ac sumptibus parcerent; nam in hoc uno et solo omnis felicitatis summam vere esse positam; hæcque ratione unica, nec ulla alia, recte firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, et parari victorias. *NICEPH. l. XIII, c. 1.*

Præclarum de fidei excellentia testimonium fuit S. Sophiæ, matris SS. Virginum et Martyrum Fidei, Spæi et Charitatis, tempore Adriani Imperatoris, quando ab urbis Præfecto rogata, quæ et unde esset, quibus parentibus, et qua conditione? libere respondit se quidem isortam parentibus, qui prima gessisset Reipublicæ munia, sed tanti a se istud non fieri, quanti quod Christiana esset, atque, se hujus fidei profitendæ causa Romanam fuisse profectam. *SCURUS, 1 August.*

Cum jussu Hunerici, Vandalorum et Alanorum Regis, Liberatus vir venerabilis et medicus, in exilium mitti juberetur cum uxore et liberis, cogitavit impietas Ariana a parentibus filios parvulos separare, quo posset per pietatis affectum etiam virtutem genitorum prosternere. Disjunguntur igitur tenera pignora filiorum a patre, qui, cum vellet lacrymas emittere, auctoritate uxoris increpatur, et in ipso meatu exitus sui illico lacrymæ sicaverunt. Ait enim ei conjux: En propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam? Computa eos non fuisse natos; nam et ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nonne vidus eos clamantes, et dicentes: Christiani sumus! Sed hæc mulier quid in conspectu Judicum egerit, laudandum non est. Nam cum ipsa et maritus seorsim, carceris tamen custodia tenerentur, ita ut se penitus non viderent, mandatur mulieri, diciturque illi: Solve jam duritiam tuam; ecce jam virtus paruit imperio Regis, et noster factus est Christianus. Aitque illa: Videam illum, et faciam ego, quod voluerit Christus. Educatur igitur de carcere inventi virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunali connexam; et verum æstimans, quod fecerant inimici, injecta manu apprehendens oram vestimentorum ejus plurturi proxi-

mam, videntibus omnibus suffocabat eum, dicens: Perditæ et reprobe, gratiæ Dei et misericordiæ ejus indignæ, quare voluisti ad modicum gloriari, et in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? Numquid liberabit te de camino gehennæ? dixit et alia multa. Cui maritus respondit: Quid pateris, mulier? Quid tibi videtur, aut quid forte de me audire potuisti? Ego in nomine Christi Catholicus permaneo, nec amittere aliquando potero, quod teneo. Tunc hæretici mendacii sui conscii et detecti, fallaciam suam colorare minime poterunt. *DAVOLT. c. 1, tit. XXI, ez. x.*

Ibidem in civitate Culusitana, quædam matrona, auctrix nominis sui Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspensio cremaretur, a marito jam perdit, filiis presentibus, ita rogabatur: Quid pateris, conjux? Si me despicias, vel horum, quos genuisti, misere impia parvulorum. Quare oblivisceris uteri tui, et pro nihilo ducis, quos cum genuisti peperisti? Ubi sunt federa conjugalis amoris? Ubi societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatè jure tabulæ conscripte fecerunt? Respice, quæso, filios ac maritum, et regie justitiam impere festina præceptum, ut et imminuta adhuc tormenta laceris, simul et mihi doneris et liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cum jam continuatione suspensii visus humeris, etiam qui cruciabant, conspicerent mortuum, deposuerunt omni parte exanimem. Quæ postea retulit, quædam sibi virginem astitisse, atque fetigisse membra singula, et illico fuisse sanatum. Idem, *ibid.*

Saturus, domus Hunerici procurator, accusatore quodam Diacono Marinado vocatur, utque Arianus fiat postulatur; eum autem confessionem veritatis pluris faceret, quam omnia sua commoda aut damna, uxor adductis communibus liberis ad genus mercium advolvitur, perque omnia sacra rogat, obsecrat, et obtestatur, misereatur sui, et pendens a lacte matris filiola et reliquorum conjugii pignorum; non committat, ut, quos generis nobilitas reddiderit claros, servili conditioni subjeantur; non patiat, ut se vivo, indigno et turpi matrimonio camelarii servi copuletur; Deum hand dubie respectatur, quod invitas et valde gravatim faciat ipse, quod plerique fecissent voluntarii. Sed

ipse ex Job ei respondet: « Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. » Formidare, mulier, si tantum hujus vite dulcedo esset futura amara, in amissione earum rerum. Imo si tu vere diligeres maritum, nunquam tu eum tuis insidiosis blanditiis in secunde mortis exitum præcipitare conareris. Age, distrahant liberos, auferant uxorem; diripiant facultates, ego de Domini promissione plane securus, hæc verba in mente fixa tenebo: « Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. » Uxor discedit, Saturnus spoliatus omnibus, et plurimis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquatur. Idem, l. III.

#### Fides simulata.

Cum Maxentius Tyrannus Gentilium nefarios ritus et ceremonias coleret, metueretque, ne sibi ad imperium tendenti ab innumera Christianorum multitudine aditus præcluderetur, simulandi artem secutus, principio benignum ac faventem se illis exhibuit; deinde vero cum vires suas auctas, confirmatasque cerneret, miram adversus eosdem crudelitatem exercuit. Postquam vero sic Romæ tyrannidem exercuisset, tandem fugiens a Constantino Imperatore bello victus, suo ipsius, quod dicitur, laqueo est captus; ponte enim divina virtute rupto, navibusque, quibus flumen constratum fuerat, solutis, transitus ipse pessum iit, et scapha subito cum hominibus omnibus in undis subedere, ipseque miser primus cum propugnatoribus suis in flumine mersus suffocatus est, sicut olim cum universo exercitu Pharaon; ut fluvius ille, ad eum, qui Milyus dicitur, pontem, equis et ascensoribus referens visus sit. Tum vero ea, que olim cantata fuerant, ad oculum representata videre licuit. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare: electi ascensores satellitesque submersi in mari rubro descendunt in profundum, quasi plumbum cum aquis vehementibus. EUSEBIUS, l. VIII, c. XVI.

Eubolus sophista, Julianum Apostatam discipulum habuit, a quo plurimi fiebat, et quo benigno ac favente utebatur: Is, utpote vafre simulationis artifex, Christianum, Ariariumque finxit sub Imperatore Constantio, ut religionis similitudine Cæsari gratiosus ac charus esset; post ejus obitum ad

Gentium simulacra rediit, ut Juliani, quem Christianæ fidei desertorem noverat, benevolentiam ac favorem hæc arte caperet. Juliano miserabili morte extincto, vix dum Jovinianus Catholicus ac religiosus princeps, imperii infulam acceptarat, cum chameleon noster Imperatoris recens creati Religionem eum novum colorem expressit, sequè (ut ex Socratis historia liquet) pro foribus Ecclesie ad Christianorum pedes abiecit, meliorum spe veniam ab illis impetrare contendens, vociferatus est: Me quasi salem infatuatum pedibus conculcate. SOCRATES, l. II, *Hist. Eccl.* § 41.

#### Fidei desertæ poena.

Heraclius, ut ex Joanne Zonara, aliisque historicis cognosci potest, dum Catholicus esset, præclarissimam victoriam de Persis reportavit, et Crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatè omnino esse videbantur; at cum in hæresim incidit Monothelitarum, omnia illi infelicitè successerunt, et ipse novo atque inaudito morbi genere extinctus est. JOAN. ZONAR. III, *Annal. Byzant.*

D. Cyprianus lapsorum miserabilem stragem ac tristia deplorat funera; qua etiam narratione de admirandis prodigiis, que in nonnullos, qui prævaricati a pietate fuerant, persecutionis illius tempore contigerunt, memorandam in hæc verba attexit historiam: Si incredulis quibusdam minor fides est futurorum, vel præsentibus treparent. Ecce eorum, qui negaverunt, que supplicia conspiciamus, quos eorum tristes exitus fleamus. Nec hi esse sine poena possunt, quamvis necdum dies venerit poenæ, plectantur interim quidam, quo cæteri corrigantur; exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Unus ex his, qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit. Poena inde cepit, unde cepit et crimen; ut nec rogare, jam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet. S. Cyr. l. de Laps.

Regnerus, Rex Daniae, abrogata Christianorum religione, idololatriæ in Regno denuo instituendæ auctor fuit; quam ejus impietatem divina insecta est vindicta. Nam Helles, quem Regno ille egerat, adjunctis sibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum et captum carceri tetro, serpentibusque infesto inclusit, qui sanie eum perfusum, ve-

nenatisque morsibus confectum, horrenda morte affectum. DAMIAN. an. 826.

Adjiciam rem aliam sub Zephyrino gestam ad hunc modum, que si in Sodomis evenisset, vel illos ad penitentiam movisset. Erat quidam Natalius, non adeo diu antea, sed nostris temporibus confessor factus. Hic aliquando seductus fuit ab Asclepiodoto, et alio quodam Theodoto mensario, qui ambo discipuli fuerant Theodoti Coriarii, qui, quoniam sententiæ falsæ, immo potius dementiæ auctor erat, a Victore tunc Romano Episcopo a Communionem separatus fuit. Persuasus autem fuerat ab illis Natalius, ut accepto salario, hæresis hujus vocaretur Episcopus, ita ut denarios centum quinquaginta menstruo tempore acciperet. Illis itaque conjunctus, per visiones commonefiebat a Domino. Misericors enim Deus, ac Dominus noster Jesus Christus nolebat passionum suarum Martyrem extra Ecclesiam constitutum perire. Quoniam vero negligentius visionibus attendebat, inescatus videlicet primatus apud eos honore, et turpi quaestu, quo plurimi pereunt, tandem ab Angelis flagellatus est, ac tota nocte haud modice verberatus, ita ut, cum mane surrexisset, indutus sacco, ac cinere disperso, multo studio ac lacrymis ante Zephyrinum Episcopum procederet, et pedibus adolveretur non Clericorum modo, sed et plebis, et ipsam Ecclesiam ad commiserandum proclivem, lacrymis defluentibus per misericordiam Christi obstaretur, ac multis precibus usus, ostensis etiam plagarum, quas passus fuerat, cicatricibus vix tandem ad Communionem reciperetur. EUS. CÆS. l. V, c. xxviii.

Constantius Chlorus, Magni Constantini pater, singulari prudentia et fortitudine Princeps, cum Christianorum quorundam in palatio suo atatem degentium fidem constantiamque explorare cuperet, conditionem proposuit, ut, qui vellent in palatio manere, et inter amicos haberi, deos secum colerent, simulacrisque immolarent; qui vero recusarent, absconderent, gratiasque agerent, quod illi facere sibi impune liceret. Ex illis nonnulli Principis gratiam venantes, sacrificium diis obtulerunt; alii saniori Religione tantam superstitionem aversati, cultum pernegarunt; quos in amicorum et consiliariorum numero habere voluit, preteritis et expulsi ignavis et infidis immolatoribus; quod diceret, fidos et veros amicos fore, qui Religionem Principi prætulissent; contra vero

nunquam fidem inviolatam Principi servaturos, qui tam prompte et sacrilege Deum suum ejurando prodidissent. Idem, de *Vita Cons.* l. I, c. xi.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatio in secessu Manresano, mysteria fidei, tamquam subducto velo oculis quodammodo intueretur, revelata sunt. Imo tam clare, ut diceret, si Sacra Scriptura intercederet, se tamen et recte ea intelligere, et aliis tradere, et pro eorum defensione mortem oppetere velle. *Hist. Soc.* p. 4, lib. I, n. 27. Valde autem cavebat, ne nostris quid irreperet, quod candorem fidei quoquo modo inquinaret, et peregrinis opinionibus inficeret; unde metuens nostris a necessaria linguæ Hebraicæ cognitione statuit, ut vulgatum editionem mordicus tuerentur, quod et in Concilio Tridentino postea decretum fuit. RIBAD. l. V, c. x.

S. Franciscus Xaverius Catechumenos hanc formulam contestandæ fidei docuit: Deus, vere confiteor, ut bonum Christianum deceat, SS. Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, tres Personas et unum Deum. Credo firmiter nihil hesitans, quidquid tenet, et credit Romana Mater Ecclesie, atque ita promitto, me victurum moriturumque in fide sancta Catholica Domini mei Jesu Christi, Dei et Hominis pro nobis mortui, et nunc pro eo tempore, quo moriturus sum, si tum loqui non potero, confiteor Dominum meum Jesum Christum ex toto corde meo. *Hist. Soc.* p. 1, l. I, n. 144.

P. Petrus Faber ita aversabat hæreticos, ut nollet eos, etiamsi recta docerent audiri, aut ad eorum voluntatem aliquid in Ecclesia ad meliorem formam revocari. Sicut enim aiebat, Demones vera interdum, sed non ex veritate Spiritu confitentur; ita hæreticos multa interdum bona præcipere, ea tamen, quoniam non bono præcipiantur Spiritu, minime grata esse Deo. Porro de eorum conversione procuranda, pulchram Lainio petenti Epistolam scripsit, in qua summam hæc præcepta suggerebat: 1. Ut ii, qui prodesse velint ejusmodi hæreticis, magna adversus eos charitatem præstent, eosque vere diligant, pulsus ex animo cogitationibus illis, que quoquo modo illorum apud nos existimationem immutant. 2. Ut eorum animo sibi adjungant, voluntatesque capiant, sic ut ii vicissim ipsam ament, et de eo optime



sentiant, id autem facile consecutores, si eos comiter alloquantur, et in familiari sermone de iis tantum loquantur, de quibus inter utrosque convenit, omni alteratione sublata, ubi pars videlicet altera alteram videatur abjicere vel deprimere. 3. Ut, quoniam prius in eis recte agendi pietas, quam recta fides extinguitur, fiat gradus ab iis, que pertinent ad recte sentiendum secundum affectum, ad ea, que faciunt ad recte credendum, ideoque omni insinuatione utantur, ut eos avocent a viliis, priusquam verbum ullum de pravis eorum opinionibus faciant. 4. Ut, quoniam in cæteris Lutheranorum erroribus is est fere communis, ut humanas actiones et facta suis meritis spoliarent, contemptisque recte factis, omnia in fide reputant, ii perpetuo sermones inferantur, quibus ad recte factorum amorem ac studium excitentur. 5. Ut, quoniam in eo potissimum se fundant, quod Ecclesiæ præcepta et leges supra vires, minimeque ferenda videantur, plena Spiritu cohortatione excitentur, ut in spem redeant, et confidere incipiant, fore ut et ipsi queant non modo quidquid imperatur, verum etiam longe majora, Deo adjuvante, præstare. 6. Ut potius colloquii de instituenda recte vita, de virtutum pulchritudine, de orationis studio, de supremo vite die, de æternitate gehennæ, et similibus rebus, quam auctoritatum vi, et rationum copia, eos a suis erroribus abducere conentur. *Vita*, l. II, c. XXI.

P. Joannes Nunnus Barretus, Tituanis Jesum prædicans, iisque Deum esse negantibus, inusitato ardore succensus, palam vociferari cœpit, pro ea se veritate paratum mille mortes oppetere. *Hist. Soc.* l. VIII, n. 34.

P. Joannes Baptista Elianus, Hæbreus a nostris conversus, in ipso baptismo celestibus redundans lætitiis, et divina perfusus luce sentiebat quodammodo omnes vitæ suæ maculas elui. Ubi deinde S. Bibliam in manus sumebat, quos locos nuper reputabat ambiguos, ita manifeste sanctam fidem contestari iudicabat, ut nullo modo intelligi secus possent; acerrimis incitabatur stimulis, ut subito ad Hæbreos redarguendos prosiliet. Multa dein in Societate pro fide fecit, et passus est. *Ibid.* p. l. I, l. XII, n. 34.

P. Joannes Ogilbeus, ab hostibus fidei oppressus, tantam animi lætitiâ, celeritatem ingenii, et efficaciam, tam in verbis, quam exemplis ostendit, ut palam constiterit, Dei virtutem in ipso habitare, et antiquorum

Christianorum constantiam ac aiacritatem etiamnum nostro sæculo reperiri. *Menologium. Soc.* 10 Mart.

P. Joannes Baptista Bæza moriturus hoc unum volebat, quod pro Christo, et fide Catholica non moreretur, ideoque Christianos rogabat, ut usum Tyranno offerent. *Ibid.* 7 Maii.

P. Petrus Writti, cum in ipso supplicii loco vitæ condonatio offerretur, si fidem mutaret, respondit, se mille prius mortes oppetiturum, quam fidem negaturum. *Ibid.* 26 Maii.

Dominicus Colinus, Hibernus, prius strenuus militiæ Dux, postea Coadjutor in Societate factus, cum post Novitiatum in patriam remitteretur, a piratis hæreticis captus, et ad defectionem a fide amplissimis præmiis illectus, maluit vitam læque finire, quam impio postulato assentiri. *Ibid.* 31 Octob.

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudo, et tamen quidquid est in arbore pulchritudinis et virtutis, ex illa procedit; sic quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. S. AUGUST. *super Joan.*

Sicut equus, si diu torpeat in stabulo, ipsa deambulandi insuetudine inutilis efficitur; sic fides, quæ ad bene operandum data est, si otiosa diu maneat, frequenter interire solet, dum homo vitiiis assuetus, facile in hæresim labitur. Unde Dominus ait: Qui habet, dabitur ei, et abundabit; ab eo autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur. GRAX. *in Silva*, fol. 285.

Sicut semper discere, signum est, nunquam posse pericere; ita testimonium semper querere, signum est, aliquem nunquam velle credere. S. CHRYS. *super c. XII, Matth.*

Sicut matrimonium dici nequit, quando mulier viros multos habet; sic et Religio multorum deorum (aut doctrinarum) impudica est et incerta, quia fide caret. LACTAN. l. IV, *de Ver. Sap.*

Sicut si manus alienius esset arida, verum quidem esset membrum, sed sine sanguine, ideoque mortuum; sic et fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est. S. AUGUST. *contra Donatist.*

Sicut unicuique homini volenti pervenire ad destinatum locum duo sunt necessaria,

oculus et pes; sic volenti introire in Regnum cælorum, oculus fidei et pes operis. Unde S. Gregorius ait: Populus Gentilis quasi oculos non habuit, quia non recepta lege non vidit, quod ire debuisset; at contra Judæicus habens oculos, claudus fuit, quia legem quidem tenuit, sed in ea gressum operis recti non tetentit. Lib. XIX, *Mor.* c. XXI.

Sicut navis sibi relicta, velis contractis ventorum non recipit impulsu, sed in mediis fluctibus pendet exitio proxima; sic et fides operum velis remigique destituta, portum æternæ salutis nunquam contiget. BERLINGK. *in festo Purific. them.* v.

Sicut terra inculta nihil nisi spinas et tribulos profert, aer detentus corrumpitur, domus non habitata corrumpitur, vite non trita silvescunt, instrumenta musica, si non pulsantur, destruantur, ferrum sine exercitio rubiginem contrahit, aqua stagnans non nisi bufones et serpentes alit, equus generosus in stabulo mareciscit, homines nihil agendo, male agere discunt; ita fides, si non operatur, inutilis fiet, et tandem omnino destruetur. STAPLET. *in Dom. Sept. them.* 2.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est. JAC. II, c. ult.

Sicut vitam corporis ex motu dignoscimus; ita ex operibus bonis vitam fidei comprobamus. PET. BLESENS. c. II, *de Char.*

Sicut Beati omnia vident in Verbo; sic nos debemus in fide omnia intueri, ita ut vita nostra nihil aliud sit, quam viva imago fidei, ejusque veritatis expressio. CARD. BONA, *in Principiis Chr. Fid.* p. I, § 19.

NECESSITAS. — Sicut fundamentum ratione suæ fortitudinis sustentat fabricam materialem; sic in fidei substantia et soliditate collocatur et sustentatur ædificium spirituale. S. BONAV. s. 3, *in Dom. XXII, post Pent.*

Sicut si radix arboris alienius emareuit, frondes quoque, flores et fructus perdit erunt, patienturque pariter medulla, truncus et rami; eodem quoque modo, si anima aliqua a virtute charitatis defecerit, fides pariter infructuosa et sterilis erit, nec ullos ex se bonos fructus producat. Unde S. Bernardus, in serm. quodam super Cantica, ait: Vides, quod non faciat hominem rectum fides etiam recta, que non operatur ex dilectione, sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficiere sufficiunt sine fide. Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo?

*Sine fide autem impossibile est placere Deo.*

Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus. S. BERN. s. XXIV, *in Cant.*

Sicut se habet esca ad corpus, ita recta vita ad fidem; et sicut carnis nostræ natura sine alimento durare non potest, ita neque fides sine bonis operibus: « Fides enim sine operibus mortua fides est. »

Sicut hortulani omnem operam suam in excolenda arborum radice ponunt, eo quod beneficium illius in omnes arboris ramos redundet; ita seduli cultores virtutum studium omne in fide excolenda, fovenda, et augenda ponunt, eo quod ab hac tanquam radice, ipsarum conservatio pendeat. STAPLET. *in Dom.* VI, *post Epiph.*

Sicut sol nisi luxerit super faciem terræ, nullus fructus crescit, aut maturescit; ita nisi per fidem veritas fulserit in animabus hominum, hi nulla opera bona producent. ORIGENES, *in c. II Job.*

Sicut in mari, nisi anchora figurat, navis ventorum ludibrio exposita hinc inde jaclatur; ita nisi intellectus noster per fidem firmetur, ab opinionum variarum fluctibus semper circumferetur instabilis. S. CHRYS. *hom. XI, in Ep. ad Hebræos.*

UTILITAS. — Sicut inter duos lapides molares teritur triticum, et fit similago munda; sic fideles inter argumenta fidei et dogmata falsa positi, conteruntur, et carnalibus desideriis exuti, spirituales efficiuntur. Id. hom. I, *in Matth.*

Sicut ii, qui in turri consistunt, duo bona consequuntur, scilicet ut et ipsi irruptionem non facile patiantur, et hostes suos audacius expugnent; ita qui in fidei turri sunt positi, non alios timent, sed timentur potius. Id. hom. XI.

Sicut quodam medicamenta omnibus morbis præstant; ita fides Catholica contra omnes morbos animi molelam affert. S. HILAR. l. II, *de Tr.*

Sicut granum sinapis, etsi parvum et insipidum, ubi teri cœpit, statim virtutem suam exerit; ita fides, etsi modica, mox tamen, ubi exerceri cœperit, virtutem suam ostendit, et hominem totum interno charitatis divinæ calore replet. S. AMBR.

Sicut equi ferocitate exultantes, nisi duritia frenorum cohibeantur, equitem in periculum conjiciunt; ita effrenatae libidines, nisi fides metu divinæ justitiæ eas coercereat, animam manifesti exitii periculo exponunt. GRANAT. *in Silva*, f. 287.

Sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis

est ad bellum, quia scutum operit sinistram, et sic nullum habet oculum, quo possit ferire aut cavere adversarium; sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Unde Naas (qui idem significat, ac *serpens*) dixit: In hoc faciam vobiscum foedus, ut eruam omnium oculos dextros. S. BONAV. in *Dieta. tit. Virt. c. II.*

Sicut lux primo creata primum opus fuit in majori mundo; ita fides prima virtus est in minori mundo, id est, corde humano. Fructus autem lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. S. BONAV. *tit. V, c. III. Dieta sal.*

Sicuti per tres filios Noe hominum genus multiplicavit universi Conditor; ita quoque et in fide per undecim piscatores illitteratos et idiotas, qui neque os aperire audebant, omnem sibi orbem conciliavit. S. CHRYSOS. hom. XXVIII, in *Gen.*

Sicut plantæ rigatæ magis crescunt; ita et fides nostra oppugnata magis floret; neque horti aquis irrigati ita germinant, et fecundi sunt, ut Ecclesiæ, si Martyrum sanguine irrigentur. Nulli, ut existimo, ignotum est illud Tertulliani effatum dicentis: Plures efficiunt, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum. TERTULL. in *Apolog. c. ult.*

FIRMITAS. — Sicut canes prædam videntes, celerime eam insequuntur, et nec spinis, nec lapidibus impediti se sinunt ab insecutione; ita illi, qui per fidem cælestia bona cognoverunt, toto animi conatu, contemptis omnibus difficultatibus, isdem consequendis inhiant. BROMIARDUS, *verb. Fides c. IV.*

Sicut lapis ab initio quidem difficulter politur aut sculptitur, ubi tamen ex eo statua exsculpta est, stabilis manet; ita gentes a principio quidem cum difficultate erudunt, ubi tamen semel vere in fide informati sunt, constantissimi manent. S. CHRYSOSTOMUS, *super c. III, Matth.*

Sicut serpens, cum urgetur periculo, caput abscondit, sequæ in orbem colligens, objecta reliqua corporis parte, illud solum tuetur, eo quod dicatur cætera membra salvo capitis vigore reparare; sic verus Christianus ante omnia fidem custodit, hæc enim salva, facile reliquas virtutes custodiet, aut reparabit. S. AMBR. in *Orij. c. IV.*

Sicut is, qui ad citharam vel organa canit, varie vocem ad instrumenti sonum flectit, ut hæc duo sibi mutuo consona mo-

dulatione respondeant; ita fides viva hæc duo potissimum efficit, ut due primariæ potentie, intellectus et voluntas, sibi mutuo bene respondeant, ut per ea, quæ per fidem concepit intellectus, voluntas moveatur et afficiatur. BEIRLINCX. in *festo S. Th. them. 73.*

Sicut Samson, quamdiu capillos retinuit, omnibus robore prævalebat, tonsus vero succubuit; ita quamdiu quis fidem vivam retinet, facile hostes superabit, secus, si eam amisit. Jud. c. XVI.

## MOTIVA.

Hæc omnia pulchre deduci possunt ex fidei cum sole facta comparatione, uti plerumque SS. Patres eam comparare sunt soliti, et merito, nam sicut Deus in mundo magno produxit duo luminaria, solem, ut præsetet diei, lunam, ut præsetet nocti; ita in minori quoque mundo, id est, homine, duo spiritualia lumina creavit, fidem, quæ diei, id est, statui gratiæ præsetet, et scientiam naturalem, quæ nocti et tenebris ignorantie congenitis serviret. Unde sicut mundus corporeus, quidquid habet bonitatis et decoris, merito soli materiali adscribit; ita homo quoque, quidquid gratiæ et gloriæ habet, jure optimo fidei virtuti in acceptis refert, ut ex sequentibus magis patet.

Itaque, sicut omnia, quæ in mundo sunt, habent lucem suam a sole; ita omnes veritates supernaturales ab homine cognite a fidei virtute ortum habent, uti clare indicavit S. Augustinus dicens: Noli intelligere, ut credas; sed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei est. S. AUG. in *Juan.*

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, vitam suam, quoad conservationem a sole accipiunt; ita homo quoque tam initium, quam progressum vitæ suæ spiritualis fidei virtuti adscribit; hinc S. Paulus dixit: In fide vivo Filii Dei. GAL. II, 10. Et Christus ipse: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. JOAN. III, 16. Et S. Tobias: Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. TOB. II, 18.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, habent decorem et pulchritudinem a luce per solem hausta; ita a fidei virtute omnia, quæ agit homo, decorem et gratiam apud Deum ha-

bent, uti testatur Granatensis, dum ait: Pulchritudo et veluti harmonia vitæ Christianæ in eo sita est, ut mores et vita cum fide consentiant. In *Silva, f. 187.*

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, motum suum quodammodo a sole accipiunt, dum ad illius exortum movere sese incipiunt; ita id ipsum potiori jure de fidei virtute dicitur. Hinc illa Apostoli exhortatio: Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est salus nostra, quam cum credidimus. Nox (incredulitatis) præcessit, dies autem (fidei et illustrationis divinæ) appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus. ROM. XIII, 11.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, calorem suum accipiunt a sole; ita homo charitatis et fervoris calorem a fidei virtute accipit, uti testati sunt discipuli in Emmaus euntes, et dicentes: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas seu mysteria fidei? LUC. XXIV, 32.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, incoluntatem suam et defensionem a nocturnis periculis et insidiis soli merito adscribunt, eo quod, illo adveniente, lemures et fures ac latrones nocturni aufugiant; ita fidei virtuti potiori jure homo incoluntatem suam et liberationem a peccatis, et spiritibus tenebrarum tribuit uti S. Theresia testata est dicens: Omnia mundi damna et peccata inde oriri, quod homines veritates S. Scripturæ non satis penetrent. Hinc tanta plerumque mutatio in exercitiis spiritualibus, in quibus potissimum labor est, dictas veritates recte ac firmiter apprehendere, atque menti imprimere, sequi solet.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, suam delectationem soli debent (nam delectabile est oculis videre solem, et dulce lumen, teste Salomone) ECC. XI, 7; ita vera lætitia cordis ex fidei virtute oritur. Unde hæc destitutus merito dicit, cum Tobia: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? TOB. V, 12. Id ipsum confirmat S. Jacobus, dum ait: Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in variis tentationibus incideritis, scientes, quod probatio fidei vestre patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. JAC. I, 2.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, lucrum et opulentiam suam soli jure adscribunt,

quia quamdiu is lucet, potissimum operari et lucrari solent homines; ita vel maxime divitias suas spirituales virtutum et meritorum fidei virtuti debet homo, nam, teste Scriptura, Dominus retribuere unicuique secundum justitiam et fidem. I. REG. XXVI, 23. Hinc S. Augustinus ait: Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei.

## MOTIVA CREDIBILITATIS.

Motivum primum merito censi potest, *perseverantia fidei inter tot tamque graves persecutiones*; quod S. Albertus Magnus his verbis proponit: Non prævalebant, ut evertant; venerunt flumina, flaverunt venti, descendit pluvia in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram. S. ALBERT. in *Matth.* Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur; unde duo illa præclara divini seminis germina, in quantum sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur. S. LEO in *s. de Apostol. I.*

Secundum, *dilatatio miraculosa fidei*, ut S. Chrysostomus dixit: Maximum argumentum omnipotentie Christi est; viginti enim annis, aut ad summum triginta, ad omnes oras orbis Evangelium transeerit. S. CHRYS. hom. XXXVI, in *Matth.* Unde merito Didacus Stella: Solius, inquit, dextre Excelsi hoc opus esse videtur, ut homines pauperes, humiles, abjecti, universum mundum suo subderent imperio, gentes debellant, idola rejicerent, Sacramenta sublimarent, et Christi Crucem in altum extollerent. Hoc autem non quemadmodum hæretici nostri temporis, carni, ejusque cupidini indulgentes, jejunia tolentes, sequæ miscentes omni vitiorum et malorum generi; siquidem Evangelium e contra non nisi crucem, mortificationem, et ærumnas suis sequaciibus annuntiat, omnibusque carni et sensualitati adblandientibus nuntium remittit. DID. STELLA, in *c. XVI. Luc.* Ac proinde S. Bernardinus auctoritatem adducit Sancti Augustini contra Epistolam Fundamenti dicentis: Quis tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contra-